Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 279
Quelle:
Copyright:



tor, adſcriptum eſt: *Hic dicatur de quodam ribaldo in Cremsmünſter*. Codex interius utrinque membranis vetuſti cujusdam Tractatus Rabbinici veſtitus eſt.

## CLXXXVII.

U. 150 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 163. f. per duas columnas probe, ſed non una manu ſcriptus, et a celebri *Thoma Haſelbachio*, ut frons loquitur, teſtamento legatus *ad domum Collegij ducalis Wienne apud fratres predicatores*, ibidem paullo infra ita deſcribitur: *Gorra ſuper Johannem ligamine bono volumine magno aſſeribus et cute ruffa circumdatus*, quibus *Haſelbachius* propria manu ſubjecit: *Emi a facultate medicine. detur pro libraria domus Collegij* 1449. En igitur *Nicolai Gorani, Gorrani, de Gorrain, Gorrenc, Gorham*, quibusdam *Angli*, verius *Galli*, Ord. Praed. circa an. 1295. defuncti Expoſitionem ſive *Poſtillas in Evangelium Johannis*, quae cum ceteris in reliquos Evangeliſtas *Colon.* 1537. et *Antverp.* 1617. f. typis prodierunt, ut teſtantur Bibliothecarii Ord. qui de Viro ejusque Scriptis agunt T. I. p. 437. Initium eſt: *Ecce intelliget ſeruus meus* &c. *Quia commendacio auctoris redundat in opus* &c. Finis: *que Dominus Ipſe promiſit. Ipſo adiuuante qui viuit et regnat* &c.

## CLXXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 40
Folior. 252. f. per duas columnas currente calamo a variis conſcriptus Farraginem miſcellam exhibet, cujus potiora indicabimus.

I. ut e calce adſumo, *Nicolaus de Lira* O. M. *ſuper Johannem*, ut ſaepe editus. Init ἀνεπιγραφως: *Facies aquile deſuper ipſorum quatuor* &c. et terminatur: *ad contemplandum facie ad faciem preſtante domino* &c.

II. *fol.* 76. p. 2. Sequuntur *Epiſtola Jacobi* et *Judae* Apoſtolor. absque Gloſſa, et brevicula illa in *Pauli Epiſtolas* Argumenta, quae etiam in *Bibliis gloſſatis* leguntur.

III. *fol.* 78. Monita quaedam Caſuiſtica de inſtruendis Confitentibus, juvandis Moribundis, periculis in celebranda Miſſa occurrentibus.

IV. *fol.* 79. absque inſcriptione Expoſitio Decalogi, quae infit: *Audi Iſrael precepta domini* &c. et eſt *Henrici de Vrimaria* O. Erem. S. *Aug.* jam *Vol.* ſuperiore relata.

V. *fol.* 112. Diſſertatio in illud: *Et acceperunt corpus Ihesu.* Joh. 19. v. 40. De ſacra Coena et diverſitate eam accipientium.

VI. *fol.* 114. Repetitio de Horis Canonicis hoc ingreſſu: *Repetiturus Decr. Presbiteri que eſt prima ſub rubrica de celebr. miſſe ſituata et ponitur etiam in decr. pro palea* &c. In XII. Quaeſtiones materiam hanc exhaurientes diviſa eſt cum mantiſſa.

VII. *fol.* 118. p. 2. ut e calce adſumo: *Stilus curie a Domino Bar-*